



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCLXXXI. Continuatio ejusdem Narrationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

Prudentiae, Doctrinæ, Ætatis &c. aspernantur, &
ab eorum Disciplina se subtrahunt.

PUNCT. III. *Et dicebat illis JESVS: non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua. Et non poterat ibi Virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit.* Marc. 6. v. 4. Quod Prophetis, id etiam Religiosis sœpe in domo sua contingit. Imitare ergo Christum, & firmo voluntatis proposito dic ex Ps. 83. v. 11. *Elegi abiectus esse in Domo DEI mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Nota etiam modum loquendi Evangelistæ: *Et non poterat.* Omnipotentiam enim, Bonitatem & Liberalitatem DEI infinitam nobis ipsis restringimus per exiguum nostram dispositionem, indignitatem, ingratitudinem, superbiam, & vel maximè, quia cum oblata Gratia Divina non cooperamur. Remove ergo hujusmodi obices, & impedimenta Cœlestium Favorum, Auxiliorum, & Gratiarum.

MEDITATIO CCLXXXI.

Continuatio ejusdem Narrationis.

Luc. 4. v. 25.

PUNCTUM I. Confirmans Christus, quod *Nemo Propheta acceptus fit in patria sua*, duo affert exempla, dicens: *In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est Calum annis tribus & mensibus sex; cum facta esset famæ magna in omni terra: & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidonie ad mulierem viduam (Gentilem) & multi leprosi erant in Israël sub Eliso Propheta: & nemo eorum mundatus est,*

158 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.

est, nisi Naaman Syrus (Gentilis) Itaque tam muleres, quām viri ex Israēlitis, quia tantā Fiducia Prophetas suos non honorabant, quantā illos honoraverat mulier, & vir gentilis, ideo etiam ab eis tum beneficium non receperunt. Considera nunquam non ob similem causam Deus ipse, & Sanctos Religiosarum Familiarum Patroni sēpe hominibꝫ s̄ecularibus & externis majora Beneficia præstet, quām Religiosis degentibus in Domo DEI, & Sanctos suos Spirituali Cognitione contingentibus. Perpende etiam, unde proveniat, quod multi peccatores, imò Sacerdotes etiam quotidie, ad Sacram Christi Mensam accumbant, nec tamen Panis cor hominum illorum confirmet, nec Vinum lētificet? Cum multi quoque peccatorum leprā infecti, à totis s̄ais, quot Confessarijs, non stabiliter mundentur, emendentur? Nempe inde hoc provenit, quia non cum debitā Reverentia, nec cum Zelo debito Honoris Divini ad Christum accedunt, nec cuncta debita observantia, ac subjectione Salutis nō nita accipiunt. Cave ergo, ne Deus, ne propterea Sancti, ne Duces Spirituales, aut Superiores à te domo sua minus Honoris, Cultūs, Observantiaz, Reverentiaz, Obedientiaz accipient, quām ab aliis minus obstrictis; & tu ideo etiam minus Beneficia recipias.

PUNCT. II. *Et repleti sunt omnes in Synagoga in hac audientes.* Luc. 4 v. 28. Ecce, qui paulo ante (ut v. 22. dicebatur) testimonium Christo dabant & mirabantur in verbis Gratiae, quae procedebat de ore ipsius; mox repleti sunt ira. Nihili ergo cienda est laus humana, quae tam facile amittitur.

& pro mutatione affectuum variatur : nec propter ea parcendum Veritati , quando ad justam comprehensionem vitiorum necessarium est loqui. Neque imitandi sunt Nazareni isti , reprehensionis & correctionis impatientes ; sed omnes defectum admonitiones , præsertim à Superioribus profectæ , cum gratiarum actione , & emendationis proposito suscipiendæ sunt.

PUNCT. III. *Et surrexerunt , & ejecerunt illum extra civitatem , & duxerunt illum usque ad supercilium montis , super quem civitas illorum erat ædificata , ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat.* Luc. 4. v. 29. Considera præclarum Exemplum , & insignem effectum Mansuetudinis : non tantum non irascitur Christus sibi irascentibus , neque contendit , neque commovetur ; sed cedit , sinitque se duci usque ad supercilium montis : atque ita illius Mansuetudine placati , vel oculis capti , ne eum viderent , innoxium permittunt per medium illorum ire. Sic cedendo adversantibus ; vel contradictibus innoxius transibis : præsertim medio tutissimus ibis , si ad neutram partem hominum deflectas , nulli adhæreas , neminem fugias.

MEDITATIO CCLXXXII.

De Prædicatione Christi , & Missione Apostolorum , per Civitates & Castella Galilææ.

Marc. 6. v. 6. Luc. 8. v. 1. & cap. 9. v. 1.

PUNCTUM I. *Et circuibat castella in circuitu docens.*
Marc. 6. v. 6. *Et factum est deinceps , & ipse iter faciebat*